

ERGA DEIPARAM VIRGINEM

AC D. IOSEPHUM EIUSDEM SPONSUM

LIBER DECIMUSOCTAVUS

HOMILIA PRIMA

Exhortatio ad devotionem Virginis, ad-
ductis praecipuis rationibus ad eam sti-
mulantibus, partim a mira eius sancti-
tatis excellentia, partim ab utilitate,
quae in nos redundat, petitis.

Liceat, antequam hoc genus argumenti exor-
dar, verba d. Augusti. (in opus. de Assumpt.
Virgin.) mihi usurpare: Te Deus omnipotens
pater, voto supplicii exoro, ut qui mandas nu-
bibus, et pluuat imbres, qui tangis montes, et
fumigant, qui aperis terram, et germinat, quid
sermonem dirigam, aperis. Cupere enim coe-
litus ardentis prunas in me dimitti, quibus
fidelium animos ad Virginis devotionem sec-
tandam, inextinguibili ardore accenderem, et
inflammarem; puo tamen hoc pio desiderio
me aliquin Mariani honoris tepidum zelato-
rem omnino frustrandum non fore, eum ex
antiquorum Patrum doctrina ea in modum
profere duxerim, quae divina irrorante gra-
tia, saxea etiam corda ad amorem, et devo-
tionem tantaе sanctae facile emollire possint;
et quidem quam sollicitos se exhibuerint sanc-
ti Patres in suadenda cordiali erga Virginem
devotione, pene innumera eorum elogia con-
testantur; ego ex his pauca quaedam nunc se-
legam, ut ad alia me converteram. D. Ioannes
Damas. (orat. 1. de dorm. Virg.) loquens cum
eam, honoris, qui conservis habetur, benevolen-
tiam erga communem Dominam declarat: Quo
tamen modo studium te honorandi, quae Domi-
num peperisti, negligendum erit? An non il-
lud vel non necessario spiritui praefereamus? haec
enim ratione nostram erga Dominam benevolen-
tiam luculentius ostendemus; haec ille. D. Do-
naventura (in epist. quae inscribitur viginti quin-
que memorialium), ubi quaedam ad pie viven-

dum monita tradit, in 13. memoriali haec ha-
bet: Ut gloriosam reginam Domini nostri matrem
benedictam, in summo habeas omni tempore
venerationis affectu, et in cunctis ad eam
necessitatibus, periculis, et pressuris tanquam
ad refugium tutissimum te concertas, ipsius tu-
tole presidium flagitando, eamque in tuam sus-
cipiens advocatam, devotissime, ac secure tuam
et causam committas, quia Mater est misericor-
diosa, quotidie studens ei speciem, et singula-
rem reverentiam exhibere. Ae tandem Greg. VII.
Pontifex sanctissimus, cuius memoriam in Mar-
tyrologio die 25. Maii, inter pleraque alia do-
cumenta, quae tradidit Mathildi filiae Beatri-
cis Tusciae Ducissae, foeminae integerrimae,
et de Romana Ecclesia optime meritae, Dei-
parae Virginis devotionem his verbis commen-
davit: De Matre vero Domini, cui te principa-
liter commisi, et committo, et nunquam commit-
tere, quousque illam videamus, ut cupimus, o-
mittam: quid tibi dicam? quam coelum, et ter-
ram laudare, licet ut meretur nequeant, non
cessant. Hoc tamen proculdubio teneas, quia
quanto altior, et melior, et sanctor circa
versos peccatores, et peccatrices. Pone itaque fi-
nem in voluntate peccandi, et prostrata coram
illa, ex corde contrito, et humiliato lacrymas
effunde: invenies illam indubitanter, prompto
promptiorem carnali matre, ac mitiorem in tui
dilectione; haec Gregorius VII.

Ceterum iam varias rationes proponamus,
quae ad hanc Virginis devotionem excitant,
has ad duo praesertim capita revocari arbitror,
nimiram ad insignem Virginis excellentiam,
sublimiaque eius merita, et ad nostram spiri-
tuale, et temporalem utilitatem. Certe Vir-
ginis sanctitas ac matris Dei celsissima digni-
tas praeracellens adeo esse perhibetur, ut
hoc solo nomine etiam si pene innumerabi-
lia, quae non desiderantur deficerent, iure suo
sibi vindicet ab omnibus creaturis serviri, coli,
ac ardentem amari. Hoc ut altius repetam a
primordiis creationis Virginis illam petendam

sum arbitratus cum d. Bernardo his verbis
elegantem eam describente (in ser. de s. Mar-
cus. init. est), Ave: Arca testamenti typum tenet
sanctae Dei Genitricis: illam fecit Bezeleel,
operi condidit Emmanuel; Bezeleel, Ooliab in
opere socum habuit, et Virgo quoque Virginum
condita, praelecta, praeservata, praeparata, et
ornata per Spiritum sanctum, et eius omnipoten-
tiam filium fuit: Bezeleel interpretatur umbra
Dei, Ooliab protectio mea; prior ille Spiritus
sancti, iste vero typum tenet Filii; de illo dicitur
ad Marianum: Virtus Altissimi obumbrabit ti-
bi; et ad Ioseph, quod in ea natum est de Spi-
ritu sancto. Filius vero ad Patrem clamat: pro-
tege me a facie impiorum, qui me affligerunt.
Item, de ventre matris meae tu es protector
meus. Bezeleel ergo cum socia arcam testamenti
fabricavit. Sancta quoque Trinitas Virginem sibi
sanctificavit, hospitiumque mundissimum sibi
praeparavit. Neque enim Pater abesse potuit, ubi
eius Spiritum, et Filium cooperari voluit: quae-
cumque enim Pater facit, haec eadem similiter
et Filius facit: nec enim Filius potest a se fa-
cere quidquam, nisi quod viderit Patrem facien-
tem. De Spiritu quoque legitur: Verbo Domini
coeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis vir-
tus eorum. Pater ergo in consecratione Virginis
exhibuit claritatem, Filius humilitatem, Spiritus
sanctus charitatem. Pater lumen exhibuit ratio-
nis, Filius clementiam humilitatis, Spiritus sanctus
oleum dilectionis. Pater exhibuit potentiam, Fi-
lius sapientiam, Spiritus sanctus omnium vir-
tutum gratiam. Pater auctoritatem contra pec-
catum, Filius humilitatem contra mundum, Spi-
ritus sanctus claritatem erga Deum, et proxi-
mum. Filius carnis mortificationem, Spiritus
sanctus compunctionem, Pater coelestium conten-
tationem. Filius docuit eam divina operari,
Spiritus sanctus amare, et amari, Pater coele-
stia contemplari. Filius eam erudit, Spiritus
sanctus eam procehit, Pater eam perfecit. Filius
eam purificat, Spiritus sanctus eam pacificat,
Pater eam honorificat. Haec dicens, opera, vel
dona Trinitatis non divido, sed fideliter insepa-
rabilia assero: sicut enim in essentia unitas,
ita in operatione identitas; haec Irenaeus s. Ber-
nardus.

Sed quod ipse praetermisit de arca testamen-
ti, quae ex lignis erit Sethim, ut legimus
(Exod. cap. 35), impunitibus, minime silentio
praetermittam, utpote ad excellentiam, ac exi-
miam Virginis puritatem exprimentam mirum
in modum conducentes: id enim umbra fuit gra-
tiae, praeservationis maculae originalis, quam
spiritualem animae putredinem esse, nemo Catho-
licus negat, cum iuxta decretum sacrosancti
Concilii Tridentini sit vere, et proprie pecca-
tum, et mors animae. Eandem etiam praeser-
vationem ab hac putredine delincentiam intueor
in arbore illa, ostensa Nabuchodonosori regi
(Dan. cap. 4), ubi haec verba lego: Succidite
arbores, et praecidite ramos eius, et excutite
folia eius; verumtamen germen radicem eius in
terra sinite.

Porro arbor illa, visa regi in somno proce-
rrema, et amplissima, pulcherrimis frondibus,
floribus, et fructibus ornata, secundum mysti-
cum sensum, adumbravit miram status primi

hominis ante peccatum felicitatem. Eadem mox
bonis suis omnibus, atque ornamentis expulsa,
et excisa, servata tamen radice, unde rarus
crescere, florescere, ac fructificari posset,
significavit eiusdem primi hominis miserum
statum, postquam lapsus esset in peccatum,
quo omnis eius posteritas vitata, et perdita
est: fuit tamen radix, et germen eius serva-
tum; intelligi autem per radicem beatam Vir-
ginem Mariam, peccato Adami nullatenus in-
fectam: sic enim eam appellavit Isaias (c. 11):
Egredietur Virga de radice Iesse, et flos de ra-
dice eius ascendet. Per germen autem radicis
Christum Dominum interpretor, qui non solum
omnis peccati expertus fuit, sed et arborem hu-
manae naturae, vitio Adami destructam, et cor-
ruptam, non laetum in priorem, qua condita
fuerat, dignitatem, sed multo etiam ampli-
orem, ac florentiorem reparavit, ut ubi abun-
davit delictum, superabundaret gratia. Verum
et nullo ante praefiguratam intueor Virginis
praeservationem a peccato originali: nam, ut
legimus (Gen. cap. 2), serpens Virginis calcaneo
insidias moliturus, divino oraculo praedictur,
sed venenatum dentem huic calcaneo figere non
potuit, quin potius caput ei conterendum praen-
unciavit: equidem calcaneum iuxta philosophos
nemo ignorat, partem esse illam pedis, quam
inter gradicendum, naturae ductu, primum in
terra sistimus, cum sit velut basis, cui ad per-
pendicularium totum corporis pondus innititur:
unde apte Virginis Conceptionem praedigitur,
cum per illam primum in orbem terrarum
gressum fecerit, seu primum in eo pedem po-
suerit, quem serpens antiquus, sicut et reli-
quos filios Adae, peccati originalis morsu
laedere nitebatur, sed mordere nunquam po-
tuit, siquidem calcaneus divinae gratiae ita
egregie praemunus erat, ut divinus Sponsus,
quae calcanea ei contulerat, quasi admi-
rans, dixerit (Cantic. 7): Quam pulchri
sunt gressus tui in calcaneis, filia Principis:
quae verba de Virginis exponit Ambrosius (de
inst. Virg. cap. 14). Haec autem Deiparae cal-
caemia coelestia fuerit: nam (Apoc. 12) mulier
illa amicta sole, quae illam significabat, sub
pedibus habuisse dicitur lunam, quae calca-
mentorum vicem subibat, ac proinde calca-
mentia haec excelsiora fuerit, quam ut in ea
venenatis dentibus serpens posset assurgere:
quippe qui in sua maledictione (Gen. c. 3) ac-
cepit, ut super pectus suum graderetur, humi
replaus, et terram comederet cunctis diebus vi-
tae suae, id est, homines terrenis rebus in-
hiantes. Et sicut in benedictione Aser (Dente-
ron. cap. 33) dicitur: Ferrum et aes calcamen-
tum eius: et (Ezechiel. c. 16) ad Hiemsalem:
Calcari te in hyanthino, seu ut alii vertunt,
hyacintho, quod eundem sensum reddit: ita cal-
camenta Virginis non minus fortia calcamen-
tis Aser fuerit ad noxium serpentis caput con-
ferendum, nec minus decora, et speciosa calca-
mentis illis Ierusalem ianthinis, seu hya-
ciinthinis, coloris coelestis incorruptibilitatem
significantis. Deinde (1. Machab. 4) legimus,
Iudam Machabaeum cum aliis, altari holocausto-
rum, quia contaminatum fuerat a gentibus,
non forte esset illis in opprobrium, uti potius-

se, sed acceperunt lapides integros, et aedificaverunt altare novum, secundum illud, quod fuit prius; quanto magis Dei Filius noluit in matrem accipere eam, quae per peccatum fuisse contaminata, ne in eius opprobrium cederet: nam, sicut adnotavit s. Thomas (3. parte qu. 27. art. 4), gloria filiorum patres eorum, (Proverb. c.17), etiam per oppositum ignominia matris ad filium redundasset, et ideo negat ipse Virginem peccasse venialiter; eadem prorsus ratione, imo fortiori infero, neque contraxisse originalem, quod delictus est, sed omni novitate gratiae, novam sine ulla vetustate veteris Adae Christo filio fuisse praeparatam, tanquam altare sanctissimum, et animalium: sic enim cum vocat Methodius (in Hypopantem). Deinde si moris est, ut quando aliqua Ecclesia maxime cathedralis, aut metropolitana aedificanda venit, ut Episcopus pontificatus vestibus indutus, clero, et populo fidelium devote procedentibus, primum fundamenti lapidem propriis manibus apponat, et cum eo pretiosissima aurea numismata in signum perpetuae stabilitatis, et aeternae memoriae; similibus in hoc facto viro sapienti, ut dixit Christus Dominus (Matth. cap. 7): Qui aedificavit domum suam supra petram, ut, licet descendat pluvia, et veniant flumina, et venti irruant in domum illam, nunquam tamen decidat. Nunquid status sapientissimus architectus, et omnipotens Deus, templum matris suae, in qua velut in matrice domo habitaturus erat, et de qua in eius figura dictum est (3. Reg. cap. 10): Non est factum tale opus in universis regnis, fundaturus erat illam super arenam? fundaturus erat super stercus originalis maculae? fundaturus erat super immundissimas peccati faeces? absit longe a nobis haec cogitatio, sed pie credamus, quod, sicut olim (3. Reg. cap. 5): Praecipit rex, ut tollerent lapides pretiosos in fundamenta templi; ita in Conceptione beatissimae Virginis, quae aedificatio fuit Mariani templi pretiosissimi, divinorum charismatum lapides a summo, ac peritissimo architecto iacti fuerunt.

Ad quae omnia ista hac singulari ratione confirmo, quia Deipara habuit perfectissimam virginitatem non solum corporis, sed et animae; perfectissima autem mentis virginitas creaturae rationalis in eo certe posita est, nemine reuente, ut per peccatum, quod spiritualis quaedam fornicatio est, nunquam violata fuerit. Cum ergo b. Virgo corpore, et mente perfectissima virgo fuerit, consequens est, non fuisse nec per momentum per peccatum originale violatam, atque corruptam: etenim quantumcumque per gratiam subsequentem momentum conceptionis spiritualis illa violata, et corruptio peccati originalis penitus deleteret; perfectio tamen perfectissimae virginitatis, prout importat immunitatem ab omni violatione peccati, minime repararetur, sicut quantumcumque diva Maria Aegyptiaca fuerit nudata ab omni labe peccati, et in resurrectione habitura sit corpus integerrimum; semper tamen verificabitur, violatam fuisse: nec id ulla ratione reparari poterit, cum ad praeparatum, ut loquuntur theologi, nulla sit po-

tentia. Nec praeteribo in idem argumentum egregiam rationem nostri divi Bernardini Senensis (tom. 4. serm. 49. post Pascha part. 1), ubi sic ratiocinatur: Certum est, quod Deus creavit Adam sine peccato originali ex limo terrae, deinde ex costa eius creavit Evam etiam sine peccato; et certum est, quod Christus incarnatus fuerit Deus, et homo, et fuit maior quam Adam, et Eva, et maioris dignitatis; et tantum interest inter eos, quantum inter creatorem et creaturam. Modo non est credendum, quod ipse Filius Dei voluerit nasci ex Virgine, et sumere eius carnem, quae esset maculata peccato originali, imo credendum est, quod voluit sumere carnem ex carne purissima, et quod eius mater fuerit plusquam Eva, et Adam, qui creati fuerunt sine peccato originali: quae ratio mihi valde applaudi; haec d. Bernardinus Senensis.

Porro, ut stupendam hanc Virginitatis excellentiam amplius elucidemus, singulare illud epithetum, quo utitur Eusebius Caes. (lib. 7. de Demonstratione Evang. c. 3), et Virginitem chonestavit, attentam mentis cogitatione perscrutemur: appellavit illam librum novum: verba eius sunt haec: Novus liber de adventu Dei, qui continet natalia Christi, filii prophetidis Mariae. Liber in sua prima significatione non significabat librum ex variis foliis papyraceis compactum, sed arboris corticem, ut aperte indicant verba Ciceronis (lib. 1. de Nat. Deorum): Trunci obducuntur libro, aut cortice, quo sint a caloribus, et frigidioribus tutiores. Indicant etiam idem verba Virgilii, ecloga ultima, qui ad exaggerandum Corneli bellum haec carmina cecinit:

Non illum nostri poterunt mutare labores,
Nec si cum moriens alta liberaret in ulmo.
Ethiopum versemus oves sub sidere camp.

Atque ex hoc factum est, quod cum olim ob defectum papyri scripturae in corticibus exararentur, inde codex scriptus, vel scribendus, liber appellari coepit. Utraque libri acceptio, et significatio non pauca Virginitatis praecognia complectitur. Congruit mirifice illi vocari liber, prout idem pollet, quam arboris cortex, tum quia sicut cortex undique truncum circumdat, et fovet, ita b. Virgo Filium Dei utero suo, velut cortice circumdedit, et fovit, iuxta vaticinium (Ierem. 31): Novum fecit Dominus super terram, foemina circumdedit virum: quem locum interpretant Septuaginta (cap. 38) transtulerunt: Quoniam creavit Dominus salutem in plantatione nova. Novitas autem inter alia plura in eo mirifice enitit, quod parvus cortex uteri virginis, infinitae magnitudinis, et immensitatis plantam, hoc est, incomprehensibilem Filium Dei comprehendere potuerit: tum quia sicut cortex ita a principio etiam suae generationis cum arbore coniunctus est, ut nihil inter ipsum, et arborem mediari patiatur: quod ita verum asseverant agriculatores, ut affirmant, si quidpiam aeris subintret inter corticem, et arborem, continue incipere corticem arborem demoliri: ita beata Virgo adeo cum Deo Optimo Maximo ab instanti

etiam suae Conceptionis, arcissimo charitatis vinculo copulata semper fuit, ut nullus unquam alicuius peccati originalis infectus aer inter Deum, et ipsam subintrare mediari; cuius non leve iudicium est, ipsam postea per totum circumulum vitae, levem etiam peccati venialis putredinem nescisse: tum quia sicut corticem a principio, et postea non alio nutritur humore, quam eo qui sibi ab arbore, seu trunco, quem legit, communicatur; ita beata Virgo, quem legit, fuit anima, et corpore continens, legens, et fovens Filium Dei, nullo alio spirituali humore nutrita fuit, quam a Filio Dei sibi communicato; ex quo aperte efficitur, nihil coniunctum in illam introire potuisse, cum non aliunde, quam ab arbore vitae, et totius puritatis fonte, succum, et humorem suxerit.

Secunda deinde acceptio libri, ut codicem scriptum iam significat, praclare etiam in b. Virginitate convenit, cum per illam, quam magna sit Virginitas super reliquos omnes sanctos excellentia, facile innotescit: etenim illos Salomon (Prov. c.11) folia reputavit: Iusti autem quasi virens folium. Virgo autem non tantum est folium, sed liber integer esse dicitur, multa folia comprehendens, cum reliquorum coelestia omnia charismata in se una uberius complectatur, et perent: cum vero sunt in libro conglutinata, facile enodantur, et characteres integri conservantur: non dissimiliter multi sanctorum, quia folia erant soluta, a suborta peccandi occasione, facile perierunt: David in veteri testamento alienam usurpavit uxorem, Petrus in novo Christum abnegavit, Thomas discredidit, et Christi discipuli omnes scandalum passi sunt, ut praedixerat eis Dominus (Matth. cap. 26): Omnes vos scandalum patiemini; beata autem Virgo liber est egregie ligatus, et clausus, cuius folia non soluta, virtutes non divisa, sed ita ex singulari, ac praeeccellenti dono confirmationis in gratia inter se connexae, et conglutinatae, ut iacturam ullam pati non poterint, aut quoquo modo coelestium donorum impressi in illa characteres deformari. Recte etiam quadrat Virginitatis librum nuncupari, cum in ea, velut in libro, Pater aeternus mentis suae conceptum expresserit, Verbum divinum in candidissima uteri sui charta scribens.

Unde beatus Andreas Cretensis (orat. 2. de dormit.) dixit cum Deipara loquens: Tu es liber vivus eius, qui in te tacite fuit scriptus, verbi Paterni vivifico Spiritu sancti calamo: praclare quidem vocat Virginitatem librum vivum, quia licet aliquot auctor viva voce loquens, dicendi energia, et accurata actione, verbis, quae proferi, vitam quodammodo eis dare videatur, liber tamen prorsus est, vitamque continent, mortuus prorsus est, vitamque scripturae conferre non valet; at beata Virgo liber est vivificus, et animatus, conferens vitam auctori vitae, cum Verbum divinum, vitam auctori vitae, cum Verbum divinum, quod in ea Pater aeternus scripsit, vere ipsa generit, humana carne illum induens: ad quod significandum apte Ecclesia catholica in multis Deiparae Virginitatis festivitatis utitur E-

vangelio, cuius initium est, Liber generationis, ut inde intelligamus beatam Virginitatem librum esse vivificum, et vitam conferentem, cum generatio ex propria ratione sit processio viventis a vivente in similitudinem naturae, ut philosophi omnes cum suo principe contestantur: quod si ulterius observes esse librum generationis Iesu Christi, qui Scaevola, et unctus interpretatur, inde clare agnosces b. Virginitatem, communicante Christo Domino, non quancumque vitam, sed vitam nobis valde salutiferam, dulcem, ac suavem: Filius Dei a Patre genitus talem vitam accepit, ut de ipso dicatur (Ps. 110): Sanctum, et terribile nomen eius, et alibi (Psal. 75): Terribili et ei, qui auferit spiritum principum: a matre vero genitus, ita suavem ac mellifluam vitam ab ea mutuavit, ut qui antea Deus ultionum diceretur, iam Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, a divo Paulo (2. ad Corinth. cap. 1) proclametur; quo certe Patris nomine, etiam si non subintrasset misericordiarum, non obscurer indicaverat Filium Dei, postquam accepit vitam a matre, aperta habere erga nos misericordiae viscera, cum Pater a patet faciendo dicatur, ut auctor est Marcus Varro (lib. 4. de ling. Lat.). Atque ex his omnibus colligo, quod, si auctores librorum, qui communi republicae applausu probantur, immortalae sibi nominis gloriam comparant, adeo ut Ovidius (lib. 15. Metamorph.) propter editum a se librum, et agmentis, et mendacis plenum, parem putari cum stellis adepturum laudis immortalitatem, dicens:

Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.
Parle quodcumque meliore mihi super alta pereant,
Astra ferat, nomenque erit indelebile nostrum.

Certe si libri, alioquin fabulosi, ac mendacia scaturientes, immortalis nominis gloriam suis auctoribus conciliant; plane cum Deus librum huic beatae Virginis, communi omnium generationum applausu receptum, ut ipsa in suo Cantico cecinerat (Luc. 2): Beata me dicent omnes generationes, in lucem ediderit, omni prorsus errore, et mendacio carentem, utpote in se continentem incretam Dei veritatem, iuxta illud Christi Domini (Ioan. 6): Ego sum via, veritas, et vita, non potest ex illo tanquam verus eius auctor, non magnam laudem, ac immortalae nominis gloriam sibi comparasse: si enim David dixit (Psal. 67): Mirabilis Deus in Sanctis suis, quos constat servos eius esse; quanto quae so mirabilior in matre sua fuisse credendus est, in qua tot prodigia patravit, ut eadem Virgo haud arroganter dicere non dubitavit (Luc. 11): Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius.

Ceterum iam a rationibus, quae miram Virginis excellentiam ob oculos mentis nobis proposuere, ad alias nostram utilitatem concernentes, quae nos tanquam proprii commodi avidissimos impensius movere solent, sermonem convertamus: inter has primo loco iam appono, quod Christus Dominus morti proxi- mus in testamento, quod in lecto crucis con-

bus fratrum nostrorum, quae per eam quotidie universis communicantur, negligentiae, et stultitiae merito arguemur, si Virginem confestim non aedeamus, stantem prope fontem aquae vivae, et vitae aeternae, Christum scilicet Iesum, et coelestia nobis largiter dispenset; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA II.

Prosequimur idem argumentum, ex multiplici capite ostendentes devotionem, ac filialem affectum erga beat. Virginem, singulare nostrae praedestinationis signum esse; sed prius permultas alias praedestinationum notas ex sacris Scripturis, et sanctis Patribus proponimus.

Quamvis sacrum Concilium Tridentinum (sess. 6. capit. 12) docuerit, neminem absque speciali Dei revelatione certitudinem fidei agnoscere posse, se ad felicissimum praedestinationum numerum pertinere: sic enim ait: *Nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit; quod multo ante mihi praedixisse videtur Salomon (Ecles. 9): Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta; nihilominus ex sacris Scripturis, et sanctis Patribus permulta signa divinae praedestinationis colliguntur, quae maximam quandam moralem illius certitudinem in praedestinationum animis generant. Unde divus Bernardus (in serm. de septuag.) ait: Nescit homo, utrum amore, vel odio dignus sit, quia in ista vita certitudinem electionis non habet, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate cruciemur: propter hoc data sunt signa quaedam, et indicia salutis manifesta, ut quibus certitudinem regat Deus eam sollicitudinis, vel fiduciam praestet eam consolationis; haec d. Bernardus. Primum et praecipuum est, cum nullus lethalis peccata habeat conscientia gravatur, maxime si id per longum tempus contingat: quod non obscure indicent verba d. Pauli (2. Cor. 1): Gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae. Cum enim quempium non reprehendit conscientia peccatum aliquando commissio lethale, tunc plane usurpare potest illud eiusdem Apostoli (ad Rom. 8): Ipse spiritus testatur spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Secundum signum praedestinationis arbitror esse, cum quis post, vel multa peccata lethalia patrata, praemissa debita eorum confessione, pro longum tempus ab omni lethali peccato se abstinere; vel si labitur, diligenter curam habet, ut iterum confestim resurgat, sacramento confessionis frequenter utens: his enim poenitentibus sic contritis, et emendatis d. Paulus (2. Cor. 13) ait: An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in nobis est? Quibus persimilia sunt verba illa Christi Domini (Joan.*

14): *Vos autem cognoscetis eum, qui apud vos manebit, et in vobis erit.* Tertium signum est libenter verbum Dei audire: ut enim Christus Dominus (Joan. 8) dixit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis;* unde d. Marcus (in Act. Apostol.) ait, *audierunt autem verbum Dei, quod quod praedesignati erant ad vitam aeternam.* Certes sicut esurire, et avide comedere, signum vitae corporalis vulgus vocat; sic dixerim vitae spiritualis, et aeternae magnum esse indicium affectare suavissimum illum pastum animarum, libenterque audire verbum Dei, et discere, sustinere triduo docentem Iesum, nec habere, quod manduces, ut quondam turba illa; certe sedere ad pedes Christi, ibique cum Magdalena audire verbum Dei, nec ab ore loquentis pendente posse avelli, non ob ministeria domestica, non ob murmur sororis, non pene ob fusturarium, uti nec sic Diogenes ab Antisthene abigi aliquando potuit, ego electionis indicium valde apparet esse sentio: quod si audire verbum Dei, signum est praedestinationis, multo magis eiusdem signum erit illud meminisse, et exequi: ut enim cum non regerit cibos datos, signum bene affecti corporis est; sic memoria verbi Dei firma bonae mentis signum praesertim: unde de beata Virgine, quae inter puras creaturas principem praedestinationum locum tenet, divus Luc. ait: *Conservebat omnia verba haec in corde suo: quod velut gazophylacium, et quaedam rationalis, et viva bibliotheca erat: hinc Christus Dominus, postquam dixit (Luc. 11): Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud, hoc est, in corde retinent, et opere complent: hinc enim ipse etiam comparavit terrae bonae (Luc. cap. 8), quae semen retinet, et fructum afferit: Qui in corde bono, et optimo, audientes verbum, retinet, et fructum afferunt. Unde sicut non retinere cibum, desperatissimum valetudinem corporis designat, ita non retinere in corde cibum verbi divini, signum est reprobationis, ut his verbis docuit divus Gregorius (homil. 15. in Evangelia): *Cibus mentis est sermo Dei, et quasi acceptus cibus, stomacho languente, reicitur, quando auditus sermo in ventre memoriae non tenetur; sed quisquis alimenta non retinet, huius profecto vita desperat.* Quartum signum est tribulationibus, et adversitatibus premi: etenim (Apoc. cap. 3) Dominus ait: *Ego quos amo, arguo, et castigo.* Unde divus Paulus (ad Hebr. cap. 12) inquit: *Fili mi, non negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris: quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem filium, quem recipit: in disciplina perseverat, tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corrumpit pater? quod si extra disciplinam facti estis, cuius participes facti sunt omnes; ergo adulteri, et non filii estis.* (Sup. quo) divus Augustinus sic infert: *Si exceptus es a passione flagellorum, exceptus es a numero florum. Noli esse iniquo sensu, et puerili, ut dicas, plus a malis pater meus fratrem meum, cui permittit facere quidquid vult, quam me, quia si me movero contra eius iussionem, flagella inveno. Potius gaude sub flagellis, quia tibi servatur haec**

reditas; illis ad tempus parit, quos in aeternum damnabit. Hinc divus Petrus Chrysologus (in epist. 4), sumpta melaphora ab aedificatione templi Hierosolymitani, sic ait: *In aedificatione enim temporali omnes lapides prius malleis tundebantur, ne in illorum positione sonus mallei audiretur: neque in horreo Domini reponitur granum, donec flagellis aut trituranium pedibus sit excussum; sic et vivi lapides, qui ponendi sunt in illa coelesti Hierusalem, quae aedificatur ut civitas, variis infortuniorum concussionibus poliuntur, priusquam in aedificio coelestis habitaculi collocentur.* Unde sancta Ecclesia canit:

Tansionibus, pressuris
Expoliti lapides
Suis coaptantur locis
Per manus artificis;
Disponuntur permansuri
Sacris aedificis.

Adverte tamen non esse signum praedestinationis, variis tribulationibus, et adversitatibus conculsi, nisi patienter tolerentur: ut enim dixit divus Gregorius (serm. 3. de bona pat.): *Nec enim magis alium iniustus, et iustus discernit, quam quod in adversis iniustus per impatientiam conqueritur, et blasphemat; patientia autem iustus probat.* Quintum signum praedestinationis est abstinere se a detractionibus: cum enim David interrogasset (Psalm. 14): *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Respondet inter alia: *Qui opprobrium non accepit adversus proximos suos.* Sextum signum est inimicos diligere: ut enim dixit divus Iohannes (epist. 1. et 3): *In hoc manifesti sunt filii Dei a filiis diaboli, si diligimus fratres: ad quod etiam facit illud (Luc. 6): Dimitte, et dimitte vobis.* Septimum signum ex divo Bernardo apponit sanctus Bonaventura (lib. 4. Pharaeae cap. 19. ad finem), dum ait: *Moriens vix: unquam aliquis in cella in infernum descendit, quia vix unquam nisi coelo praedestinatus, in ea usque ad mortem persistit.* Octavum signum est misericordia in afflictis, ad pauperes, Christo Domino dicente (Matth. 5): *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Unde (3. Reg. 6) Salomon portas templi, in quo Dominus holocausta acceptabat, de lignis olivarum esse voluit, ut parabolice coelum patere operibus misericordiae ostenderet. Nonum munditia cordis est, iuxta illud (Matth. 5): *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Decimum paupertas spiritus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Et in universum octo beatitudines, de quibus divus Matthaeus (cap. 5) signa esse divinae praedestinationis, quibus electi a reprobis seceruntur, percensuit doctissimus noster Vega (lib. 2. de iustis. in Concilio Tridentinum a cap. 12. usque ad 20).

Sed sancti Patres praeter omnia huc usque a me commemorata, alia multa signant, quorum brevitas causa pauca, sed praecipua recensebo. D. Ambrosius (in Apolog. de David. cap. 19) ait: *Signum electorum esse male de se sentire, delere de peccatis, cuius suum agno-*

scere. D. Gregorius (lib. 34. moral.) inquit: *Evidentissimum signum reproborum est superbia, electorum vero humilitas.* Idem etiam d. Gregorius (lib. 8. moral. cap. 41) signum praedestinationum coelestia desiderare: *verba eius sunt haec: Electorum animae ad coelestia eriguntur, reproborum vero ad terrena; ut quod ferrum mox ad magnelem aedolat, cognationem quandam alterius cum altero significat, et quod naphtha bituminis quoddam genus, citissime ad visum ignem inflammatur, signum est ignee cuiusdam in ipso naturae; sic coelestis cuiusdam originis, et iuris in civitate Dei, et beatorum habendi quoddam indicium est, saepe coelum suspirare, et dicere illum Psalmum: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam; et apparebo, etc. Quenadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Divus Thomas (opus. 60) de humanitate Christi, inter electorum signa constituit, spirituali gustu praehilare coelestium bonorum dulcedinem: *praedestinationis enim dicitur (Psalm. 33): Gustate, et videte, quam suavis est Dominus: qui enim gustat, sicut iterum: et in illo semper id contendit, ubi pleno se provolat ore: quia dulcissim ex ipso fonte bibuntur aquae.* Ac tandem divus Hieronymus ait (in epistol. quae incipit), velus scripturae celebrata sententia docet: *Signum praedestinationis esse vivere, ut pauci, qui dicuntur esse oraculum: multi sunt vocati, pauci vero electi.*

Ceterum nostro argumento inserviens, inter signa praedestinationis singularis devotio, ac filialis erga Deiparam Virginem affectus, non ultimum locum tenet: nam si divus Paulus ait (ad Rom. 8): *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imagini filii sui, certe scit praedestinati debent Christi Domini imaginem humilitatis, patientiae, et castitatis in se exprimere; ita et in eo imaginem Christi gestare debent, ut sicut ille b. Virginem tanquam veram Matrem singulariter coluit, et adamavit; ita et ipsi eandem singulari cultus, et amoris affectu prosequantur.* Hanc salubrem doctrinam confestantur sancti Patres, probant divinae revelationes, adumbrant variae figurae, confirmant sacramenta litterarum oracula, ac permultae tandem rationes constabunt: et quidem in primis ex sanctis Patribus, primum pronuncio divum Antonium (4. p. tit. 15 c. 14. §. 7), quendam Anselmi sententiam afferentem in haec verba: *In antiphona Salve Regina, dicimus, Eia ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte: ut enim dicit Anselmus, impossibile est quod illi, a quibus Virgo Maria oculos misericordiae suae avertit, salventur, ita necessarium, quod hi; ad quos convertit oculos suos, pro eis adeoans, iustificentur.* Ipse etiam divus Hieronymus (lib. orat.) ait: *O Maria tu peccatorem totum mundo despectum materno affectu amplecteris, nec deseris, quousque Deus per te placatus, ipsum suae gratiae recuperabit.* D. Bonaventura (in stim. div. amor. part. 3. cap. 19): *Vere, inquit, Domina regina est misericordiae, quia non est in hac vita sic desperatus, sic miser, cui non impetret misericordiam Salvatoris, si ad tuum reclinabit regimen.* Divus Germanus Patriarcha (in serm.